Lib[er] fr[atr]is Berchtoldi de Hosburch

ordinis ...

creature intellectualis est etiam sapientia quod principium quod principium sine initio manens incommutabiliter nullo modo cessat occulta inspiratione vocationis loqui ei creature cui principium est ut convertatur ad id ex quo esset quod aliter formata ac perfecta esse non posset. Ideoque interrogatus quis esset respondit: principium quia et loquor vobis. Quod autem filius loquitur pater loquitur, quia patre loquente dicitur verbum quod filius est eterno more, si more dicendum est, loquente deo verbum coeternum. Inest enim deo benignitas summa et sancta et iusta et quidam non ex indigentia sed ex beneficentia veniens amor in opera sua. Propterea priusquam scriberetur dixit deus fiat lux precessit scriptura dicens et spiritus dei superferebatur super aquam. Quia sive aque nomine appellare voluit totam corporalem materiam ut eo modo insinuaret unde facta et formata sunt omnia que in suis generibus iam dignoscere possumus appellans aquam quia ex humida natura videmus omnia in terra per species varias formari atque concrescere, sive spiritalem vitam quandam ante formam conversionis quasi fluitantem superferebatur utique spiritus dei quia subiacebat scilicet bone voluntati creatoris quidquid illud erat quod formandum perficiendumque inchoaverat ut dicente deo in verbo

tate sub deo secundum sui temporis modos, sive per decessionem qua rerum seculi pulcritudo contexitur. Quod vero dixit deus fiat lux et facta est lux in aliquo die dixit an ante omnem diem. Si enim verbo sibi coeterno dixit hoc utique non temporaliter dixit; non verbo sibi coeterno sed per aliquam creaturam dixit temporalem ac per hoc non erit prima creatura lux quia iam erat per quam temporaliter diceretur fiat lux. Atque illud ante omnem diem fecit deus celum et terram ut celi nomine intelligatur spiritalis iam facta et formata creatura tamquam celum celi ipsius quod in corporibus summum est. Secundo enim die factum est firmamentum quod rursus celum appellavit. Terre vero nomine invisibilis et incomposite ac tenebrose abysso imperfecta corporalis substantia significata est unde temporalia illa fierent quorum prima esset lux. Quomodo autem per creaturam quam fecit ante tempora dici potuerit temporaliter fiat lux invenire difficile est. Sono enim vocis non intelligimus dictum. Nam quidquid [illegible] est corporeum est. An ex illa imperfectione substantie [illegible] fecit aliquam vocem corporalem per quam sonaret [illegible] lux? Ergo [illegible] vocale corpus ante lucem creatum atque [illegible] est. Sed